

870  
Eu 78s

UNIVERSITY OF ILLINOIS

# SPECIMEN CRITICUM.

*D. V.  
not  
man*  
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

PROPOSUIT

ADAM EUSSNER.

---

WIRCEBURGI.

TYPIS FRIDERICI ERNESTI THEIN.

MDCCCLXVIII.

UNIVERSITY OF  
ILLINOIS LIBRARY  
AT URBANA-CHAMPAIGN  
BOOKSTACKS

# SPECIMEN CRITICUM.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESENDOS

PROPOSUIT

ADAM EUSSNER.

---

WIRCEBURGI.

TYPIS FRIDERICI ERNESTI THEIN.

MDCCCLXVIII.

Digitized by the Internet Archive  
in 2016 with funding from  
University of Illinois Urbana-Champaign

870  
Eu 783

LUDOVICO · URLICHSIO

MAGISTRO · SACRUM



LOCORUM QUI TRACTANTUR  
INDEX.

*Pag.*

E CURTIO.

1) VIII 1 (1) 4 . . . . .	9
2) VIII 2 (6) 5 . . . . .	10
3) VIII 2 (9) 30 . . . . .	10
4) VIII 2 (8) 22 . . . . .	11
5) VIII 3 (13) 17 . . . . .	11
6) VIII 8 (26) 6 . . . . .	11
7) VIII 8 (26) 8 . . . . .	13
8) VIII 10 (36) 14 . . . . .	13
9) VIII 13 (46) 23 . . . . .	14
10) VIII 2 (7) 13 . . . . .	15
11) VIII 10 (36) 18 . . . . .	15
12) IX 6 (26) 26 . . . . .	15
13) VIII 10 (37) 23 . . . . .	16
14) VIII 10 (37) 25 . . . . .	16
15) VIII 10 (38) 35 . . . . .	17
16) VIII 14 (50) 36 . . . . .	18
17) VIII 14 (51) 45 . . . . .	19
18) IX 1 (3) 18 . . . . .	20
19) IX 4 (17) 22 . . . . .	20
20) IX 5 (19) 1 . . . . .	21
21) IX 5 (22) 24 . . . . .	21
22) VIII 7 (25) 15 . . . . .	22
23) VIII 8 (28) 15 . . . . .	24

E CICERONE.

24) Tusc. Disp. I 2, 4 . . . . .	26
----------------------------------	----

E CENSORINO.

25) 4, 12 . . . . .	26
26) 17, 13 . . . . .	27
27) 18, 2 . . . . .	27

E FRAGMENTO CENSORINI.

28) 1, 2 . . . . .	28
29) 1, 3 . . . . .	29
30) 1, 4 . . . . .	30

	<i>Pag.</i>
E VELLEIO.	
31) II 1, 3 . . . . .	30
32) II 6, 2 . . . . .	31
E TACITO.	
33) Hist. I 11 . . . . .	31
34) Hist. I 30 . . . . .	32
E IUSTINO.	
35) XII 7 . . . . .	32
36) XII 8 . . . . .	33
EX EUTROPIO.	
37) VI 10 (8) . . . . .	34
38) VI 16 (13) . . . . .	34
39) VII 9 . . . . .	34
40) I 12 (11) . . . . .	35
E FLORO.	
41) II 13 (IV 2) 81 . . . . .	35
EX AMMIANO.	
42) XXVIII 4, 13 . . . . .	36
EX EXSUPERANTIO.	
43) 4 . . . . .	36
44) 7 . . . . .	37
45) 8 . . . . .	37
EX AMPELIO.	
46) 2, 7 . . . . .	38
47) 6, 2 . . . . .	38
48) 6, 13 . . . . .	38
49) 8, 3 . . . . .	38
50) 8, 13 . . . . .	38
51) 8, 21 . . . . .	39
52) 9, 1 . . . . .	39
53) 13, 2 . . . . .	40
54) 16, 2 . . . . .	40
55) 16, 4 . . . . .	40
56) 27, 3 . . . . .	41
57) 30, 1 . . . . .	41
58) 41 . . . . .	41
59) 44 . . . . .	41
60) 7, 5 . . . . .	42

# OBSERVATIONES CRITICAE

IN

## Q. CURTIUM RUFUM.

---

In eleganti Q. Curtii Rufi libro emendando post *Franciscum Modium*<sup>1)</sup>, qui vetustis codicibus usus primus rectam Curtii restituendi viam ingressus erat, nostris temporibus unus omnium prosperrime elaboravit *Carolus Timotheus Zumptius*<sup>2)</sup>. Nam qui praeter eum hac aetate de Curtii reliquiis bene meriti sunt, *Iulium Muetzellium*<sup>3)</sup> dico et *Henricum Eduardum Fossium*<sup>4)</sup> et *Iustum Ieepium*<sup>5)</sup>, eorum

---

<sup>1)</sup> Modius in editione sua, quae prodiit Coloniae a MDLXXIX, membranas adhibuit Colonenses, alteras sed illis postponendas Siebergenses, praeterea Thosanum librum minoris pretii.

<sup>2)</sup> Ed. I. prodiit Berolini a. MDCCCXXVI, ed. II. Brunsvigae a. MDCCCXLIX, ed. minor ibid. a. MDCCCLII.

<sup>3)</sup> Ed. Berol. a. MDCCCXLI. 2 voll.

<sup>4)</sup> Epistola ad *Iulium Mützellium* de critica in emendando Curtio recte exercenda. Altenburgi a. MDCCCXLV. — Quaestiones Curtianae. Ibid. MDCCCLII. — Ed. Teubneriana. Lips. MDCCCLI.

<sup>5)</sup> Specimen quaestionum criticarum de Q. Curtii Rufi historiarum fragmentis. — Censura epistolae Fossianae et editionis Duebnerianae in Muetzellii ephemeridibus anni MDCCCXLVIII vol. I. p. 416—427. — Censura editionis Zumptianae in eisdem ephemeridibus anni MDCCCL vol. I. p. 51—70. — Censura editionis Fossianae et eiusdem Fossii Quaestionum Curtianarum in novis annalibus philol. a. MDCCCLII vol. LXVI. p. 25 seqq. — Emendationes Curtianae, quae eisdem annalibus insertae sunt a. MDCCCLXV vol. XCI. p. 189—194.

unus quamvis in explicando scriptoris sermone et in rebus enarrandis satis laudabiliter versatus sit, tamen bona supellec-tile plane destitutus nimis anxie criticam artem factitavit, ut haud raro quas ipse luculenter excogitavit emendationes in textum recipere dubitaret; alter in singulis locis saepius feliciter emendationem tentavit, idem tamen perverse iudicavit de uni-versa ratione artis criticæ in Curtii libris exerceendæ; tertius per aliquot iam annos tamquam severus idemque candidus iudex, quaecunque ad emendationem Curtianam nova a viris doctis pro-lata sunt, accurate et diligenter examinavit atque adeo præ ceteris magna ingenii sollertia atque sagacitate permultos locos correxit neque vero unquam se accinxit ad parandam Curtii sui editionem. Zumptius vero accuratiori quattuordecim codicum manu scrip-torum cognitione nitus, qua etiam Freinsheimium <sup>6)</sup> et Snakenburgium <sup>7)</sup> superavit, primus ostendit, id quod iam magnus suspicatus erat Iosephus Iustus Scaliger, omnes, qui ex septuaginta fere codicibus in singulis Europæ bibliothecis asservatis hucusque inspecti sunt, ex uno mutilo et satis men-doso fluxisse archetypo, qui quidem nono, ut videtur, saeculo langobardicis litteris fuit scriptus. Atque hi codices quod non-nunquam mirum quantum inter se discrepant ita ut, ubi hiant Florentinus A, Bernensis A, Leidensis et ex maiori parte Vossianus I quoque et Florentinus B, ceteri lacunis expletis tersam plerumque præbeant lectionem: non casu factum est fortuito, sed foedissimo interpolationis studio eorum, qui commentis suis scriptorem emendare sibi videbantur. Hanc vero Zumptius sen-tentiam, quae omnino vera est, plurimis quidem probavit viris

<sup>6)</sup> Io. Freinsheimius satis largam lectionum varietatem ex codicibus partim bonis transcriptam protulit in editione, quam cum commentariis et supplementis emisit Argentorati a. MDCXL. 2 voll.

<sup>7)</sup> Henr. Snakenburgius collationes codicum Leidensis, Vossiani I et II recepit in locupletissimam editionem suam, quae prodiit Delphis et Lugduni Batavorum a. MDCCXXIV.

doctis<sup>8)</sup> neque vero ad unum omnibus. Nam praetermitto quod vehementissime in eum invictus est Walchius<sup>9)</sup>, qui furioso in illum impetu nihil aliud profecit nisi ut ipse derisui esset; sed sobria, quae viro eruditio digna est, ratione usus Zumptium impugnavit Fossius, qui in duas quidem classes Curtianos codices dividi concessit<sup>10)</sup>, idem tamen negavit discrimen, quod inter utramque intercedit, tale esse, ut interpolatorum studiis, non librariorum erroribus imputandum videretur, quique praecipuum scriptoris emendandi subsidium codicem Florentinum G quippe integerrimum atque plenissimum esse censuit, cum tamen Zumptius plenissimum quemque codicem eundem interpolatum esse affirmasset. Errasse autem Fossium cum omnino tum de codice Florentino G, quem et ipse Zumptius placidius tractaverat, praecclare ostendit Ieepius<sup>11)</sup>, qui multa Fossium bene enucleasse praedicat, id effecisse negat, ut codices recentiores non pro interpolatis haberentur. Quae accuratius hic enarrare et longum est neque necessarium: optime enim de his rebus exposuit in parvo quidem libello, sed bonae frugis pleno<sup>12)</sup> Edmundus Hedicke, neque acta agere mihi in animo est. Qui vir doctus ex toto codicum, qui hucusque explorati sunt, numero nisi quattuor non interpolatione carere contendit et hac tabula codicum cognationes, ut ita dicam, in conspectum dedit:

<sup>8)</sup> Cf. Orellii censura prioris editionis, quae extat in Seebodii et et Iahnii annalibus philol. et paedag. a. MDCCCXXXI vol. II. p. 45—55 et Baumstarkii editio, Stuttgard. MDCCCXXIX.

<sup>9)</sup> In actis litt. Halensibus a. MDCCCXXIX p. 105—144.

<sup>10)</sup> Quod enim in egregia epistola ad Iulium Muetzellium data p. 4 negat haec verba faciens „duas codicum classes plane diversas statui non posse“, idem ipse probat l. l. p. 9 haec dicens „in magna omnium similitudine certe duas quasi classes discerni posse“.

<sup>11)</sup> In censura quaestionum Curt. l. l. p. 54.

<sup>12)</sup> Quaestionum Curtianarum specimen. (Dissert. inaug.) Berol. MDCCCLXII.

Codex archetypus

Leid. Voss. I Flor. A Bern. A Codex ignotus et interpolatus

Flor. B Flor. G Cod. ignot. et interpol.  
Codices deteriores omnes.

Atque idem fere de singulis et melioribus et deterioribus codicibus senserunt **Ulricus Koehlerus**<sup>13)</sup> et **Arnoldus Hugius**<sup>14)</sup>, ita ut ille Leidensi, cuius tamen accurata collatione carebat, principem quandam locum vindicaret, uterque de auctoritate Florentini A utpote passim interpolati paulum detraheret.

Eiusdem igitur Edmundi Hedickii singulari cura admodum nuper nova demum Curtii recensio<sup>15)</sup> edita est, quae quamquam discipolorum maxime usui accommodata breviter tamen et accurate lectores de codicem melioris notae lectione certiores facit et, quid ubique archetypus praebuerit, quoad eius fieri potest, repraesentat. Quam autem rationem et quibus de causis in emendandis Curtii historiarum libris secutus sit, quamquam se postea uberius expositurum esse editor promisit, tamen in universum iam ita de hac re in ipsa editione praefatus est, ut, quid de ratione eius iudicandum sit, perspicere liceat. Est autem ea ratio ab illa, quam in dissertatione sua paucis ante annis proposuerat, una potissimum re diversa. Cum enim olim quattuor tantum codices non interpolatos esse arbitratus sit, ceteros Sardos venales alium nequiorem nuncupaverit: nunc praeter illos quintum quoque in eorum numero posuit, a quibus omnis emendatio esset repetenda, scilicet Parisinum bibliothecae imperialis numero 5716 signatum, saeculo IX scriptum, omnium

<sup>13)</sup> In commentatione, quam Novo Museo Rhenano vol. XIX. p. 184—196 inseruit; cf. eiusdem comparatio locorum quorundam Christianorum cum Livio in libro, qui inscribitur: Qua ratione T. Livii Annalibus usi sint Historici Latini atque Graeci. Commentatio philologica praemio ornata. Gottingae MDCCCLX.

<sup>14)</sup> In Museo Rhenano vol. XX. p. 117—129.

<sup>15)</sup> Prodiit Berolini apud Weidmannos MDCCCLXVII.

quos novimus manu scriptorum Curtii librorum vetustissimum. Etenim quod hucusque principem vetustatis locum obtinuit fragmentum Rhenaugiense, quod nunc Turici asservatur, ne ipsum quidem saeculo IX antiquius est.

Hic igitur codex falso deterioribus accensitus erat a Zumptio. Nam cum hoc ei sit commune cum optimis, Flor. A Bern. A Leid. Voss. I, ut, quamquam hic illic interpolationis vestigia praebent omnes, tamen omnino illa falsiorum labo, qua deteriores codices inquinantur, infecti non sint: praeter illos et ipsum Parisinum priori codicum classi adnumerandum esse haud immerito Hedickius censuit. Idem vero homo doctus, cum ceteris multo negligentius exaratus sit Parisinus, ad alterum prioris classis ordinem eum pertinere docuit, cuius ordinis Modii quoque codex Coloniensis et aliquot codices, quorum paucae tantum schedae supersunt, Darmstadiensis, Virceburgensis<sup>16)</sup>, Vindobonensis fuisse videntur. Atque hunc ego codicum ordinem alteri melioris classis, ad quem referendi sunt Flor. A Bern. A Leid. Voss. I non solum pretio parem esse existimo, sed praestantiorum etiam esse contendeo.

Fuit autem quasi fato destinatum huic Parisino ut despiceretur; dudum enim innotuerat, sed iacuit neglectus. Nam ante haec quattuor lustra narravit Zumptius<sup>17)</sup>, se olim a Michaele Beerio, quem habuit inter familiarissimos, Parisiis commorante,

<sup>16)</sup> Fragmentum codicis Curtiani Herbipolitanum, quippe quod ipse inspexerim, — in hae re ut omnino eximia adiutus liberalitate Rulandi, qui vir litteratissimus bibliothecae universitatis Vircebburgensis praeceps, — affirmare possum eidem atque Parisinum ordini adnumerandum esse; ubique enim cum Parisini lectione conspirat. Nam prorsus recta sunt, quae de hoc fragmento primus protulit Schneidewinus, a Carolo Reussio edocetus, in Philologo suo vol. V. p. 377, nisi quod in priore pagina non decem sed tredecim lineae legi possunt. Quamquam enim tres ultimae recentioris cuiusdam scripturae reliquiis obteguntur et nigro fere membranae colore obscurantur, tamen quae in iis insunt, perspexisse mihi videor, ut ne in his quidem diversam a Parisino lectionem adnotandam esse affirmem. Continentur autem hoc fragmento, quod Koehlero quoque valde probatum est (ef. Mus. Rhen. l. l. p. 194), libri VIII 1, 3 fin. — 7 med. et 10 fin. — 14 med.

<sup>17)</sup> In editione a. MDCCXLIX praef. p. X.

trium codicum manu scriptorum, numeris 5716, 5717, 5718 signatorum, ex (veteribus) capitulois V et VI libri VII variantes scripturas acceptas habuisse et integrum eorum librorum collationem non difficulter sibi comparare potuisse, ni satis ex illa operis particula intellexisset, nihil in iis libris deterioris familiae contineri, de quo non abunde ex Florentinorum accuratissima collatione constaret. Quod eo magis mirum videri debet in ipso Zumptio, qui quamquam de aetate codicium, quorum priores duos saeculo XII et tertium saeculo XIII scriptos esse vidit ex catalogo codd. mss. bibl. reg. Paris. III 4 p. 151<sup>18)</sup>), certior factus tamen ne sibi quidem ipse constiterit, cum omnino interpolationem codicum saeculo XV factam esse doceret<sup>19)</sup>), hos codices duobus tribusve saeculis ante exaratos eosdem interpolatos affirmaret. Sed ipsum catalogum falsa de codicum aetate protulisse, postea Duebnerus indicavit<sup>20)</sup>). Quae cum ita se haberent, nimirum Hedickius de Parisinorum aetate ac pretio in tanta sententiarum diversitate non tam certo iudicio agere potuit, sed in dubio quaestionem reliquit. At nunc postquam ipse Parisinum 5716, quem a ceteris neque antiquitate nec pretio superari vidit, non inspexit solum, sed totum contulit, profecto sperare licet eum accuratissime de hoc codice disputaturum esse. Neque vero quae iam in editione de illo adnotavit non ea sunt, unde, quae in primis scire opus est, percipere possimus.

Itaque quod supra exscripsi ex Hedickii dissertatione codicum stemma, quod vocant, iam in hunc fere modum immutandum esse censeo:

Codex archetypus

(I. classis 1. ordo.)	(I. classis 2. ordo.)	(II. classis.)
Paris. 5716. Darmst.	Leid. Voss. I. Flor. A Bern. A	
Virceb. Vindob. Mod. cod.		Flor. B

<sup>18)</sup> Cf. de his rebus Hedickii dissertatio p. 30.

<sup>19)</sup> Iam nonnullis saeculis ante Curtii libros interpolari coeptos esse Muetzellius Ieepius Hedickius certis argumentis ostenderunt.

<sup>20)</sup> In nov. ann. philol. vol. XVI. p. 313.

Hedickius igitur cum dicat, codicis archetypi scripturam cognosci e consensu utriusque ordinis prioris classis, paulum a rei veritate abesse mihi videtur. Nam mea quidem sententia prior prioris classis ordo ita comparatus est, ut is proxime ad archetypi speciem accedere putandus sit. Quamobrem Parisinus 5716, quippe qui solum huius ordinis integrum exemplum extet, ubique a ceterorum primae classis codicum lectione ita recedit, ut aut solus aut et ipse et illi sanum aliquid exhibeant, illis posthabitibus sequendus est. Quid quod saepe Parisini vitia tolerabili ceterorum librorum lectioni praeferebantur sunt, cum ipsa veram emendandi rationem monstrarent. Cuius rei iam certum, ut mihi videtur, argumentum praestabo; non est autem animus totum scriptorem pertractare, ut congestis omnibus plane locis controversis sententiam meam ante oculos ponam, sed satis habebo exemplis ex VIII libro et aliqua parte libri IX sumptis singularem codicis Parisini 5716 praestantiam ostendisse.

Est autem hic codex Parisinus tam negligenter scriptus, ut vix persuadere tibi possis librarium omnino latine scivisse; quo factum est, ut plurimis sane locis scateat mendis quibusdam, quae in ceteris libris non inveniuntur. Cuius paucas paginas si perlustraveris, omnis fere generis errores licet deprehendere. Primum enim ratio ac formula scribendi praecipue in nominibus propriis a vero aberravit, velut VIII 1, 19 clyto, 30 clytus legitur pro Clito, Clitus; 1, 45 ptholomeo, 48 ptholōmaeus; 2, 16 amintan; 2, 25 oxartan atque adeo 27 hoc xartes pro Oxarten et Oxartes; 2, 27 sisimithren et 32 simythri pro Sisimithrem et Sisimithri; 3, 12 spitaminis pro Spitamenis; 4, 20 sagas pro Sagos; 5, 2 catanes pro Catenes; 5, 20 callesthenes, 6, 25 et 7, 10 callesthenen, 6, 29 calesthenen, 7, 8 chalisthenis 6, 1 poliperconti; 6, 26 eurilocum — quae quidem orthographiae quam vocant vitia alias in ceteris quoque codicibus Curtianis occurrunt; neque illud mirum erit, quod compraeahendisse scriptum est pro comprehendisse et similia. — Deinde singulae

litterae aut syllabae immutatae sunt idque interdum ita, ut  
 casus numeri modi genera immo ipsa verba confunderentur.  
 Huius quoque rei ex octo primis capitulis libri VIII exempla  
 promam: 2, 7 alius pro alias; 4, 20 relictam pro relatam;  
 4, 20 coacta pro cocta; 5, 7 libere pro labare; 5, 8 quidem  
 pro quidam; 5, 15 offerre pro auferre; 6, 23 detegeret pro de-  
 cederet; 6, 25 consulendam pro consolandam; 8, 19 cum pro  
 tuum; 1, 15 venarentur pro venaretur; 2, 9 offerri pro offerre;  
 3, 11 venisset pro venisse; 3, 12 suspectis pro suspectus;  
 3, 13 noscit pro nosci; 3, 14 diversam pro diversa; 4, 3 oculis  
 modo meantibus pro oculos modo meantis; 4, 22 eo pro eum;  
 5, 14 silentium pro silentio; 5, 17 credesne pro credisne;  
 6, 20 coepit pro coeptis; 8, 19 quam pro quem; 8, 23 consecutus  
 pro consecuta. — Tum litterae nonnullae aut syllabae exci-  
 derunt, item tota verba desunt, e. g. VIII 1, 38 actis pro iactis  
 scriptum est; 2, 8 occubere pro occubuere; 4, 13 et pro sed;  
 8, 21 utquaquam pro hautquaquam; 1, 18 quam pro quamquam  
 reperitur; 1, 38 tam pro tamen; 4, 14 deprenderat pro de-  
 prehenderat; 4, 18 que desideratur; 6, 19 quam pro quoniam  
 legitur; 7, 1 inimus pro inivimus. Ac verba quidem interciderunt  
 in his capitibus haec: 1, 51 i; 2, 7 alias; 4, 3 luce; 4, 5 tum;  
 5, 24 te; 6, 27 autem; 7, 7 dicere; 8, 22 quod. — Denique  
 ne illud quidem deest vitiorum genus, quo sive singulae litterae  
 sive totae syllabae perperam in textum quem vocant irrepserunt;  
 ocurrunt autem in his octo capitulis haec, quae eicienda vi-  
 dentur: 1, 45 at pro a scriptum extat, 1, 47 coierent pro co-  
 irent, 2, 7 timentique pro timenti, 2, 13 commisit pro misit,  
 4, 11 strenuesque pro struesque, 4, 29 et pro e, 5, 24 iis pro  
 is, 8, 3 sine pro se; 7, 4 pronomen te bis positum est. Adde  
 quod ipsa verborum collocatio interdum turbata cernitur, velut  
 5, 14 ritus externosque pro externosque ritus invenitur.

Hanc igitur ingentem singularium errorum colluviem si quis  
 perpenderit, concedet multum afuisse, ut librarius, accuratiore  
 linguae scientia haud dubie prorsus destitutus, proprio Marte  
 quidquam mutare auderet, ut quae a ceteris codicibus, qui ser-

vati sunt, dissentiens sana praebet, ex ipsa archetypi lectione non fluxisse non possent. Itaque suo iure Hedickius permultis sane locis solam huius Parisini auctoritatem secutus textum constituit; velut in libro VIII triginta quattuor loci illius codicis praestantia restituti sunt, quos enumerare mihi liceat: 1, 5 ea consederant (cum fragmento Vircebburgensi); 1, 12 spatiose; 1, 15 in siria; 1, 19 excusatione; 1, 26 dignos; 1, 32 imperaturus; 1, 34 at cum; 1, 41 praeterierit, 2, 6 inter; 2, 15 II milia; 3, 8 vinoque; 4, 2 minis; 4, 4 cadentium; 4, 23 Roxane; 4, 25 amorem; compararetur; 5, 2 autem; 6, 6 stirpi post; 6, 11 in permutandis; 6, 23 nec; 7, 8 at; 7, 11 sint; 8, 8 (?) in; 8, 16 videre; 8, 22 aulae et; 9, 31 est (cum fragmento Rhenaugiensi); 10, 4 occurserunt; 10, 24 obmolita; 10, 25 terra humore diluta; 11, 12 miserabilis; 12, 6 permissoque; 12, 9 imperii vires; 13, 15 felix; 14, 1 Abisaren.

Sunt autem praeter hos loci quidam, in quibus et ipsis aut cum ceteris melioribus aut solum Parisinum germanam lectio-  
nem servasse existimo, Hedickius vero ad ceterorum librorum fidem confugit.

VIII 1, 4: Namque hostis in silvis, quae erant forte  
campo iunctae, armatum militem condidit.

Ita Hedickius scripsit Bernensem, Florentinum, Leidensem,  
Vossianum I secutus; at Parisinus praebet: et forte campo  
erant, item fragmentum Vircebburgense. Atque haec lectio,  
quam in editionem suam recepit Modius, et Schneidewino (Philol.  
V. 378) et Koehlero (Mus. Rhen. XIX. 184) genuina visa est,  
nec immerito. Delectatur enim Curtius huiusmodi enuntiatis  
interpositis, quae sive pronomine relativo (VIII 14, 20) sive  
adverbio quippe (11, 19) sive particula quidem (5, 8) sive con-  
iunctione enim (5, 7) vel namque (14, 28) sive nulla omnino  
huiusmodi vocula (10, 22) inducit sive coniunctione et posita,  
ut nostro loeo et huius libri cap. 14, 1: et ita convenerat, l. III  
c. 11, 13: et forte in illud cornu omnes fuga abstulerat. Quo  
quidem exemplo id quoque comprobatur, verborum ordinem non  
esse mutandum, quod maluit Modius. Cf. praeterea Liv. XXIII

1 et pleraque cavae sunt viae sinusque occulti; 44 et sunt omnia campi circam Nolam.

VIII 2, 5: Ille humi prostraverat corpus gemitu eiulatuque miserabili totam personans regiam.

Hanc lectionem a Muetzellio Zumptio Fossio receptam contra P et omnes meliores codices Hedickius repetit — ut ipse dicit, Modium secutus; sed fallitur memoria vir doctus, Modius enim correxerat: tota personante regia. Evidet, cur codicum scriptura mutanda esse videatur, non intelligo; falsum enim est quod dicit Zumptius, aut personare aliquem gemitu domum aut domum ipsam personare gemitu. Nam praeter has tertia quoque structura cum ablativo reperitur, ut apud Livium XXXIX 15 qui personant tota urbe; XLI 2 totis passim personabat castris. Itaque hic quoque etsi simul cum ceteris melioris notae libris, rectam praebet lectionem P: totâ personans regiâ.

VIII 2, 30: Futurum se in regis potestate respondit.

Sic Hedickius ut olim Muetzellius Zumptius Fossius ex auctoritate codicum excepto P, qui praebet: potestatem. Quod, etsi saepius in P casus miscentur, tamen nescio an verum sit; latinum esse scimus e Gellio, qui I 7, 16 haec habet: Amicus noster in eiusdem M. Tullii oratione, quae est de imperio Cn. Pompei, ita scriptum esse a Cicerone dicebat atque ipse ita lectibat: Cum vestros portus, atque eos portus, quibus vitam ac spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestatem sciatis, neque soloecismum esse aiebat „in potestatem fuisse“, ut vulgus semidoctum putat, sed rationem dictu certam et probam contendebat (12, 33 ubi Halmius scripsit: in potestate), qua et Graeci ita uterentur et Plautus verborum Latinorum elegantissimus. Cf. Cic. Verr. V 38, 98 in eorum potestatem portum futurum intellegebant; lex municipii Salpensi c. 21 (quem locum Halmius attulit): in potestatem parentium fuerint; Liv. II 14 auctionem fortunae regiae, quae ne in potestatem quidem populi Romani esset; Sall. Iug. 112, 3 cum talem virum in potestatem habuisset.

Ac ne eos quidem locos deesse dixi, ubi P ut ceteri codices non interpolati mendorosus quidem est, sed ita mendorosus, ut ipsis

erroribus optimam emendandi ansam praebeat, id quod in pluribus locis perspexit Hedickius, in nonnullis, de quibus iam disputabo, neglexit.

VIII 2, 22: Ruinas munimentorum supergressus ad petram admovit exercitum.

Hanc deteriorum codicum scripturam miror quod etiam Hedickius secutus est. Etenim „superegressus“, quod praebet P et codices meliores omnes, corruptum quidem esse eo evincitur, quod, ni fallor, verbum „superegredi“ primum invenitur apud Ambrosium ep. 6; sed quaeritur, num haec lectio a littera perperam addita originem duxerit, quod mihi quidem veri dissimile videtur esse. Puto enim scripturam illam turbato verborum ordine natam esse, quem ita restituerim: super ruinas munimentorum egressus. Porro verbum „egredi“ cum praepositione „super“ iunctum optime concinit cum verbo „admovit“, quod et ipsum iuxta praepositionem „ad“ positum est.

VIII 3, 17: Arsaces in Mediam missus, ut Oxydantes inde discederet.

Ita codices et editiones; solus P praebet „desederet“, quod in archetypo quoque fuisse et in ceteris apographis in „discederet“ mutatum esse suspicor. Sed minus bene in hac re egerunt librarii; scribendum enim erat: *decederet*, quod proprie de iis dicitur qui e provincia sua revocantur.

VIII 8, 6: Lyncestem vero Alexandrum bis insidiatum capiti meo a duobus indicibus liberavi, rursus con victum per biennium tamen distuli.

Hic vel optime demonstrari poterit, quanto ceterorum codicum consensui unius P auctoritas praeferenda sit. Cum autem duplice locus macula foedatus sit, liceat alium locum, unde omnis emendatio pendet, exscribere, qui est in l. VII 1, 5 sq.: Atharrias postulare coepit, ut Lyncestes Alexander, qui multo ante quam Philotas regem voluisset occidere, exhiberetur. A duobus indicibus, sicut supra diximus (i. e. in deperdito libro II; cf. Diod. XVII 32. Arr. I 25, 3 sqq.), delatus tertium iam annum custodiebatur in vinculis.

„Per biennium“ quod retinuerunt Muetzellius Fossius Zumptius, vix quisquam iis vitio vertet; haec enim est lectio codicum praeter P; at Hedickio, qui idem exhibuit, praesto fuit lectio codicis P „patriennium“, corrupta illa quidem, sed quae sola veram emendandi viam monstrat. Quid multa? „per triennium“ scribendum censeo. Quam coniecturam ab optimo codice indicatam ut magis etiam confirmem, pauca praemonenda sunt. Si quis enim eum, quem ex l. VII attuli, locum cum nostro comparaverit, poterit sane dubitare, utrum „triennium“ au „biennium“ scribere malit. Nam eum de tertio anno agatur, aut iustum paene triennium aut bieunium, quod iam praeterfluxit, intelligi potest. Sed alii quoque loci conferendi sunt et ipse rerum ordo considerandus. Ac Curtius quidem VII 1, 8 Lyncestem Alexandrum narrat causam dicere iussum haesitasse, quamquam toto triennio meditatus erat defensionem; item Diodorus XVII 80 de triennio loquitur: *τριέτη μὲν χρόνος ἐν φυλακῇ τηρούμενος διετέλεσε.* Re autem vera non totum modo triennium sed maius etiam fuisse temporis spatium, ex Arriano discimus, qui I 24, 5 Lyncestem iam tum in vincula coniectum esse tradit, cum Alexander rex apud Phaselin esset cum exercitu, id est ea hieme, quae ad annos trecentesimum tricesimum quartum et tertium ante Chr. n. pertinet. Quae autem initio l. VII narrantur a Curtio, certe ante annum 330 gesta esse nequeunt; cf. Muetzellius ad VII 3 (11) 3. Itaque „triennium“ procul dubio scribendum est.

Sed altera quoque hic macula haeret, neque illa levior. Conferenti enim eum, quem supra contuli, locum manifestum est, non liberatum esse Lyncestem „a duobus indicibus“ — sic autem est in eo loco, quem nunc tractamus —, sed iam antea insidiatum regi et ob id ipsum suspectum tamen liberum et integrum mansisse; postquam vero „a duobus indicibus“ delatus est, in vinculis esse custoditum, cum Alexandro supplicium differre placeret. Agedum transponamus verba „a duobus indicibus“: iam omnia quadrant; locus autem hunc in modum restitutus est:

Lyncestem vero Alexandrum bis insidiatum capiti meo libe-

ravi, rursus a duobus indicibus convictum per triennium tamen distuli.

VIII 8, 8: Obsequio mitigantur imperia: ubi vero reverentia excessit animis, et summa imis confundimus, vi opus est, ut vim repellamus.

Ipse Muetzellius, vir magno tradita conservandi studio insignis, misellam hanc structuram appellavit, qua scriptor eadem persona et eum, qui peccat, significet et eum, qui poenas peccati ab illo repetit. At non est misellus Curtii sermo, verum elegans et incundus. Quamobrem non scriptori imputaverim ineptum illud „confundimus“, sed librario, qui duas exempli sui syllabas in transcribendo praetermisit. Hoc autem non semel accidisse notum est, velut eiusdem libri c. 2, 21 codices ad unum omnes praebent „obsunt“, quod Vindelinus rectissime in „obscura sunt“ mutavit. Ac nostro quidem loco Curtium scripsisse puto: confundi videmus. Hunc enim verbi „videre“ usum amat scriptor; cf. eiusdem cap. § 13: In multis enim gentibus esse video. Librarii autem eum alio quoque loco neglexerunt, IX 2, 20 ubi „videamus“ in melioribus libris omissum iure inseruit omnibusque fere editoribus probavit Iunius.

VIII 10, 14: Lauri baccarisque [et] multa iu illis rupibus agrestis est silva.

Ita Hedickius Heinsii coniecturam repetivit, quam Zumptius quoque et Fossius atque adeo, quamvis invitus, Muetzellius receperant; codicum enim lectio ferri nequit, qui praebent „lauri baceque et“. Nam bacca non est herbae species sicut laurus, sed fructus quidam; nec silvae baccarum dici possunt, quod recte adnotavit Zumptius. Sed ipse Heinsius emendationem inchoasse magis quam perfecisse putandus est. Quod enim „baceque“ mutavit in „baccarisque“, egregie sane inventum est; quod vero coniunctionem „et“ expunxit, simplicius quam verius fecisse videtur, nam verisimilius est illam coniunctionem ad nomen tertiae cuiusdam plantae, qualis est laurus et baccar, pertinere. Hoc autem nomen forsitan quis cogitaverit latere in vocabulo „multa“; sed non ita est. Nam in Graeco fonte, ex quo Curtii

narratio videtur fluxisse, Clitarcho puto sive Timagene, ἀλση παντοῖα extitisse Arrianus V 2, 7 fidem facit; itaque illud plantae nomen ante „multa“ excidisse contendo et conicio fuisse: inulae. Inula enim, quam Graeci ἐλέριον, nos Alant vocamus, ita excellit saporis austeritate ut baccaris illius sive nardi rusticæ radix odoris vi; commemoratur autem a Lucretio II 429, qui laedi magis quam titillari sensus dicit inulae sapore; item ab Horatio sat. II 2, 44, qui acidam vocat, quod, cum coquitur, aceto conditur; ab eodem ibid. 8, 51, ubi amaram eam appellat. Plinius quoque n. h. XIX 5, 29 de inula agit tamquam per se stomacho inimicissima, eadem dulcibus mixtis saluberrima.

VIII 13, 23: Traicere amnem ... parabat . . . , cum procella imbre vix sub tectis tolerabilem effundit.

Pro „imbrem“, quod haud dubie necessarium est et in omnibus extat codicibus, P præbet: *ingens*. Quod cum neque casu mutatum esse possit, neque consulto factum esse videatur, primum quia hac mutatione non restituitur sensus loci sed destituitur, deinde quia librarius omnino a tali conamine sese retinuit: in archetypo quoque fuisse putandum est. Suspicer autem adiectivum „*ingens*“ in textu archetypi omissum in margine additum esse: porro pars librariorum in transcribendo illud vocabulum omisit; is qui P scripsit pro sua, quam supra cognovimus, linguae ignorantia tamquam emendationem vocabuli „*imbrem*“ recepit, hoc substantivum contra expunxit. Quae coniectura nisi a vero aberravit, scribendum erit: cum *ingens* procella *imbrem* vix sub tectis tolerabilem effundit. Luce enim clarius est, adiectivum „*ingens*“ optime concinere cum universa loci sententia.

His igitur emendationibus, quas ex ipsis sive meliorum codicum omnium sive unius P corruptelis elicere studebam, paucas etiam coniecturas adiungere liceat, quibus veri similiorem, quam quae hueusque circumfertur, lectionem invenisse mihi videor. Ac primum quidem evolvamus:

VIII 2, 13: Igitur X diebus maxime ad confirmandum pudorem apud Maracanda consumptis sqq.

Sine suspicione haec ab editoribus dimissa esse iure mireris; verbum „confirmandum“ enim hoc loco aptam interpretationem non admittit, quod nulla re magis elucebit quam torta et artificiosa Muetzellii explicazione allata. Is enim dicit, regis pudorem scelestā Cliti caede adeo irritatum tamque mollem factum esse ad accipiendam offensionem, ut quasi quadam confirmatione egeret. Hocine est verbum in contrariam detorquere sententiam? Quid enim aliud est confirmare pudorem quam firmorem et maiorem reddere? At ipsum contrarium huius significationis universo loci sensu requiritur; scilicet id agitur, ut minuatur pudor. Dixerat enim scriptor in enuntiato proximo superiori: quoque minus caedis puderet seqq. Quae cum ita sint, una sane syllaba mutanda erit, ut efficiatur: ad consolandum pudorem, quod sensui loci aptum est.

VIII 10, 18: Eadem felicitas ab Oceano revertentes temulentos comissantesque inter ora hostium texit.

Sunt loci quidam in veterum scriptorum codicibus, quos non posse non pro corruptis haberi difficillimum est demonstrare, quippe quorum lectio, etsi non laudanda, tamen ferenda esse videatur. Iidem, postquam medela iis adhibita est, ita legentibus arrident, ut recte emendati esse putentur. Atque in horum numero nescio an ille quoque sit quem supra exscripsi locus. Etenim eos, qui modo „ab Oceano“ revertuntur, nonne statim navibus egressos „in ora hostium“ comissatos esse credamus?

Atque huic iam alterum locum addam, cuius emendationem profecto in medio positam fusius explicare supersedeo.

IX 6, 26: Si licuerit, ipse praestabo hoc: si me praeceperit fatum, vos mandasse mementote.

Veri simillimum puto, ambiguitatis vitandae causa Curtium addito pronomine primae personae, quod ex prima syllaba verbi „mementote“ repeto, scripsisse: vos mandasse me mementote.

VIII 10, 23: Nam qua spectat orientem, cingitur amne torrenti, qui praeruptis utrimque ripis aditum ad urbem impedit. Ad occidentem et a meridie velut de industria rupes preealtas obmolita natura est.

Duae sunt causae, quibus inducor, ut mutilum hoc enuntiatum esse contendam: primum enim si quis describit universum urbis alicuius situm et munitiones, profecto, quomodo in unaquaque parte munita sit, docere debet — et docet hoc noster de oriente et de occidente et de meridie, de septentrione non docet. Deinde si quid aliqua re cingitur, aut ab omni parte aut saltem a duabus partibus cingi necesse est. Quis enim unquam audivit, cingi aliquid ab una tantum parte? Itaque post verba „qua spectat orientem“ alterius partis nomen intercidisse suspicor, atque illius quidem partis, cuius nomen alia quoque causa commoti desideravimus. Scilicet scribendum est: *qua spectat orientem et septentriones*. — Neque vero in insequenti moenium descriptione omnia plana sunt, etsi editores, quos quidem noverim, difficiliora et minus expedita saltu quodam mortifero — ut Italorum proverbium est — superaverunt.

VIII 10, 25 sq.: XXXV stadium murus urbem completitur, cuius inferiora saxo, superiora crudo latere sunt structa. Lateri vinculum lapides sunt, quos interposuere, ut duriori materiae fragilis incumbet, simulque terra humore diluta. Ne tamen universa consideret, inpositae erant trabes validae, quibus innecta tabulata muros et tegebant et pervios fecerant.

Omnibus muri partibus inter se bene coniunctis unum remanebat periculum, ne levior materiae pars ipso lapidum vinculo ita premeretur, ut totus murus consideret. Quod ne accideret, cautum erat validis trabibus positis, quae quomodo fuissent adhibitae, vix posset dubitari, nisi ipsis, quae in codicibus tradita sunt, verbis impediremus. Nihil enim obstat, quominus vel validissimis trabibus supra murum impositis tamen muri materia considat; quid quod eo facilius consideret, quo graviore trabium onere ac mole praeter illos lapides premitur. Ne

multa, ita trabes muro immitti debebant, ut ab inferiore ad superiore partem pertinerent, id quod apud nos quoque in rusticorum maxime aedificiis latere seu cocto seu crudo factis fieri solet, et ut muro nihil aliud iniceretur quam tabulata, quae eum tegerent et redderent pervium. Hunc autem, qui haud dubie requiritur, sensum efficies una syllaba inserta; videlicet legendum est: ne tamen universa consideret, interpositae erant trabes validae. —.

Iustinum sive Trogum Pompeium in iis, quae de Alexandro Magno tradidit, saepissime concinere cum Curtio nostro, quippe iisdem fere fontibus usum, non est quod moneam. Etenim iam ante aliquot saecula ipse Curtii textus verbis e Iustino petitis foedissime interpolatus est ab hominibus sciolis, cuius rei haud pauca exempla inde a Modio viri docti collegerunt, velut Curt. IV 11, 16. 17 — Iust. XI 12, 11. 13. Curt. IV 11, 22. — Iust. XI 12, 15. 16. Curt. IV 12, 22 — Iust. XI 9, 2. 3. Curt. V 13, 25 sqq. — Iust. XI 15, 5 sqq. Curt. IV 7, 28 — Iust. XI 11, 11.

Sed aliud est interpolare aliud emendare: idem enim Iustinus, quem modo ineptae interpolationis fontem extitisse demonstratum est exemplis a Ieepio in Muetzellii ephemeridibus anni MDCCCXLVIII v. I p. 420 collectis, nonnihil ad emendandos quoque Curtii libros confert. Hoc igitur adminiculo adiutus accedo ad locum qui est:

VIII 10, 35 sq.: Ipsa (scil. Cleophis, quae Mazagis regnabat) genibus regis parvo filio admoto non veniam modo, sed etiam pristinae fortunae inpetravit decus. Quippe appellata regina est: et credidere quidam plus formae quam miserationi datum. Puero quoque certe postea ex ea utecumque genito Alexandro fuit nomen.

Ita Hedickius locum exhibuit optimos codices secutus, nisi quod P praebet „amplius“ pro „quidam plus“. Rem in eundem modum narravit, et quod gravius est iisdem fere verbis narravit Iustinus XII 7, 9 sqq.: Inde montes Daedalos regna-

que Cleophidis reginae petit: quae cum se dedidisset ei, concubitu redemptum regnum ab Alexandro recepit, inlecebris consecuta, quod virtute non poterat; filiumque ab eo genitum Alexandrum nominavit, qui postea regno Indorum potitus est. Cleophis regina propter prostratam pudicitiam scortum regium ab Indis exinde appellata est. Hunc igitur locum respiciens illum, quem e Curtio transcripsi, ita correxerim: Et credidere amplius formae quam miserationi datum: quippe scortum regium appellata regina est. Puero quoque sq. Quae quamquam nisi dupli mutatione, verbis et transponendis et inserendis, restitui non potuerunt: tamen cum per se ipsa legentibus blandiri videantur, de hac emendandi ratione verbum non amplius addam. Restat vero, ut de lectione „amplius“ pro „quidam plus“ pauca dicam, quam e codice P recipere dubitavit Hedickius, ego cum egregii huius libri auctoritate firmatam tum sermoni Curtiano convenientem servandam censeo. Ne enim subiectum verbi „credidere“ desideremus: Curtius illud subiectum, quod ad multos neque certos quosdam homines pertinet, omittere solet, ut in loco § 32, qui proxime antecedit, „credebant“ dixit nullo subiecto addito, quamquam aliud subiectum modo praecesserat.

VIII 14, 36: At ille, quamquam exhaustae erant vires, deficiebatque sanguis, tamen ad notam vocem excitatus, „Adgnosco“, inquit, sqq.

„Sanguinem deficere“ quid est aliud nisi plane iam emortuo homine vulnerato sanguinem quippe ipsa morte concretum non fluere? Quae sententia cum ab universo huius loci sensu toto caelo distet, facillima mutatione usus conieci „ex-sanguis“, ut „Porus“ subiectum sit verbi „deficiebat“; cf. paulo infra in § 37: elephantes deficiebat; paucis versibus supra in § 34: deficiens (equus) procubuit; Iustin. XII 9, 12: cum (scil. rex) sanguinis fluxu deficeret. Praeterea Diodori quoque narratione collata haec mea coniectura confirmatur, apud quem XVII 88 legimus: γερόμενος ἔξαιμος.

VIII 14, 45: Mox donavit ampliore regno quam tenuit.

Lectorem assensurum mihi spero, desiderari hic accuratior rem praeteriti temporis significationem in verbo „tenuit“. Neque vero „tenuerat“, quod forsitan cuiquam in mentem veniat, conciendum est, nam saepius apud Curtium tempus perfectum reperitur, ubi plusquamperfectum exspectaveris. Itaque ne ipsum scriptorem, sed ineptum librarium corrigerem, „quam ante tenuit“ scribere malui. Hanc enim praepositionem inter syllabas a m et te facile excidisse, eo libentius concedes credo, quod illud „ante“ a me insertum item in Arriani narratione occurrit V 19, 3: ἀλλῆν ἔτι χώραν πρὸς τὴν πάλαι οὕση πλείονα τῆς πρόσθεν προσέθηκε.

Haec habui quae ex iis emendationibus, quas legenti mihi VIII librum res suppeditare videbatur, in praesentia litteratorum iudicio proponere auderem; ceterae enim, quas tentavi, conjectuae partim mihi ipsi non tam certae erant, partim — id quod tum demum vidi cum praeter Hedickii editionem alias quoque adirem — dudum ab hominibus doctis erant praeoccupatae neque tamen probatae recentioribus editoribus. Scilicet VIII 4, 5 pro „lubrica et rigentes manus“ merito coniecit Modius: „nec retinere arma lubrica rigentes manus poterant“. — 9, 12 „(Aquilo) ad interiora non penetrat ita alendis frugibus mitia (pro „mitis“) — quae Acidalii conjectura similibus locis confirmatur, ipsius Curtii VII 4, 26: quae mitiora sunt, frumento conseruntur. Plin. h. n. XIV 21 (27): mitiores plagae dolis condunt. Hor. c. I 18, 2: mite solum Tiburis. — 14, 17: „In dextrum cornu invehitur“, ut emendavit Raderus ex prava codicum lectione „laevum“, quae neque cum huius cap. § 15 neque cum Arriano V 16, 3. 17, 1 sq. et Plut. Alex. 60 conciliari potest. — Itaque iam ea proferam, quae in primis libri IX capitibus emendanda putavi, et primum id ponam, quod item intellexi iam a Freinshemio inventum esse. Hic enim IX 1, 30 iure scripsit: „precatus, ut sospites acciperet, se liberosque et gentem suam dedidit.“ Quae emendatio lectionis tralaticiae „sospes“ a Zumptio Fossio Hedickio omnino reiecta, a Muetzellio

ita improbata est, ut eam sensui loci convenire doceret, quem tamen leniore mutatione restituere sibi videbatur. Iam vero de aliis quibusdam locis video:

**IX 1, 18:** Itaque VIII milibus suorum amissis in oppidum refugerunt. Postero die scalis undique ad motis muri occupantur: paucis pernicitas saluti fuit. Qui cognito urbis excidio paludem transnavere, in vicina oppida ingentem intulere terrorem.

Si quis accuratius perpenderit singularum sententiarum nexum, non poterit non intelligere ordinem rerum turbatum esse. Primum enim legimus: muros occupari; deinde: paucis perniciatem saluti fuisse; tum: nonnullos terrorem invicti Alexandri in vicina oppida intulisse: Quarum rerum altera diversissima sane ab iis est, quas primam et tertiam legimus, nec quomodo cum muris occupandis concilietur intelligo. Nam ut de perniciitate Macedonum militum, qui murum ascenderunt, cogitaremus, verbo saltem indicandum fuisset; ut autem illa pernicitas ad insequentem referretur enuntiationem, altera interpungendi ratione opus erat et coniunctionis cuiusdam interpolatione. Tum enim ita scriberetur et interpungeretur: ... occupantur. Paucis pernicitas saluti fuit, qui cognito urbis excidio paludem transnavere et in vicina oppida intulere terrorem. Atque hanc emendandi viam ingressus erat Aldus, cui tamen particulam „et“ inserenti recentiores editores assensi non sunt; nec immerito, quamquam ne ipsi quidem verum viderunt. Tralaticiam enim ferri nequire scripturam demonstrasse mihi videor; neque vero interpolatione voculae cuiusdam, sed paucorum verborum transpositione locum sanabimus, qui ita exhibendus est: Itaque VIII milibus suorum amissis in oppidum refugerunt: paucis pernitas saluti fuit. Postero die... muri occupantur. Qui cognito urbis excidio paludem transnavere, ... intulere terrorem.

**IX 4, 22:** Omnis multitudo et maxime militaris mobili impetu effertur. Ita seditionis non remedia quam principia maiora sunt.

Miror profecto, quod in hoc loco nemo, quem quidem neverini, hucusque haesit; aperte enim alterum enuntiatum priori repugnat. Nam in illo negatur principia seditionis magna esse, in priori contra affirmatur statim principia tanta esse, ut hominum militarium animi iis efferantur. Agedum priorem enuntiationem accuratius contempleremus et cum altera comparemus: porro observabimus in altera oppositum adiectivi „mobili“ desiderari. Sensus enim hic esse debet: Mobiles ad seditionem sunt milites, sed mobiles iidem ad poenitentiam. „Ita seditionis non remedia quam principia tardiora sunt“ — id quod militaribus ingenii proprium apud ceteros secus se habere videtur teste Tacito, qui dicit in Agr. cap. 3: Natura tamen infirmitatis humanae tardiora sunt remedia quam mala.

**IX 5, 1:** Cum ille rem ausus est incredibilem atque inauditam multoque magis ad famam temeritatis quam gloriae insignem.

Haec lectio codicibus tradita, probata editoribus intelligi nequit. Quid enim sibi vult illud „fama gloriae“? Scilicet gloria ipsa species quaedam famae esse iure dicitur a Cicerone, qui in I. II de inventione cap. 55, 166 hanc protulit explicationem: Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Atque hoc vocabuli sensu factum est, ut haud raro gloria i. e. bona fama (cf. Cic. p. Sest. 66, 139) famae i. e. malae famae opponatur, quae verborum oppositio ut aliis scriptoribus latinis ita nostro usitata est. Cf. VIII 1, 1: maiore fama quam gloria; IX 10, 24: non gloriam solum, sed etiam famam. Similem igitur oppositionem substantivorum nostro quoque loco deprehendere mihi videor itaque legendum censeo: Cum ille ausus est ... magis ad famam temeritatis (i. e. malam famam) quam gloriam (i. e. bonam famam) insignem.

**IX 5, 24:** Quippe ingens telum adactum erat et penetrasse in viscera videbatur.

Hunc locum nulla, ut primum legenti videtur, difficultate impeditum si cum duobus, qui antecesserunt, locis comparaveris, leni mutatione egere intelliges. Alexandri regis cor-

pori sagitta infixa erat ab Indo quodam milite. Atque haec Indorum tela mirae magnitudinis fuisse iam antea bis narraverat scriptor, VIII 9, 28: binum cubitorum sagittae sunt, quas emittunt maiore nisu quam effectu: quippe telum, cuius in levitate vis omnis est, inhabili pondere oneratur. IX 5, 9: Ille (scil. Alexander) ad omnes ictus expositus non aegre tamen exceptum poplitibus corpus tuebatur, donec Indus duorum cubitorum sagittam — namque Indis, ut antea diximus, huius magnitudinis sagittae erant — ita excussit, ut per thoracem paulum super latus dextrum infigeret. — Ex his ipsis autem locis nostri loci emendatio repetenda est. Etenim langueret profecto oratio Curtii, quo vitio minime tenetur, si eandem rem tertium scriptor recoqueret, quam iam bis lectoris memoriae impresserat. Quod si momenti alicuius esse vult illud enuntiatum „quippe ingens telum adactum erat“, non solitum illud narrari potuit, hoc telum ut cetera ingens fuisse, sed singulare quoddam, quod narratione dignum videatur, hic inesse debet. Narraverat autem scriptor omnino sagittas quippe iusto graviores non magna vi emitti solere; postea commemoravit eum Indum, qui Alexandrum vulneravit, tam insolita vi tantoque effectu sagittam excussisse, ut ipsum regis thoracem perfringeret. Atque huius rei Curtius nostro loco lectores monuisse videtur his verbis: quippe ingenti vi telum adactum erat. —

Ac praeter eos, quibus medelam adhibendam esse censui, alii rursus loci inveniuntur in hac, quam supra dixi, operis Curtiani parte, qui ut omnino sanentur nulla quidem mutatione egent, sed recta interpungendi ratione debent restitui. Cuius generis est, quem ex Hedickii recensione transcribo, locus unus e multis conclamatus.

VIII 7, 15: De cetero parce, quorum orbas senectutem: suppliciis ne oneraveris: nos iube duci, ut, quod ex tua morte petieramus, consequamur ex nostra.

Codices non interpolati praebent „orbam“, quam lectionem plurimi recentiorum editorum etsi retinuerunt, tamen ne hi quidem

tralaticiam scripturam probarunt. Iam Modius autem Vossianum II secutus „parce his“ scripsit, quo adminiculo, quod in Florentino G quoque ab enarratore superscriptum extat, non opus esse recte monuit Zumptius; nam illud pronomen facillime subintelligitur et altera nihilominus remanet difficultas, particula „ne“ pro „non“ posita. Nam quominus cum Zumptio „ne oneraveris“ pro imperativo positum credamus, sententiae impedit perversitas, quam optime expressit Fossius: Quum „parce“ nihil fere aliud sit, nisi „suppicio ne afficias“, iam haec oritur sententia: suppicio ne afficias eos, quorum orbam senectutem suppicio ne afficias. Alii igitur critici alias emendationes tentarunt, velut Schefferus coniecit „per te horum“; contra Clericus pro „parce quorum“ maluit „parentum“, quod Heusingero et Muetzellio probatum displicuit Zumptio. Et Muetzellius autem et Zumptius traditam libris manu scriptis lectionem, quam falsam perspicerunt, intactam servarunt in editionibus. Quam quod Fossius mutare ausus est, meritis sane laudibus videtur extollendus, etsi ne ipse quidem genuinam scripturam restituit. Scilicet luculenter, ut solet, Ieepius coniecit „orbas“, cetera suo iure reliquit integra. Quod vero felicissime divinavit, id cum minus bene explicaret: factum est, ut Fossius in eo non acquiesceret, sed duobus praeterea verbis additis scriberet „parce [parentibus et] quorum orbas . . .“, idque probabili sane argumento Ieepium impugnans. Re enim vera „parce, ne oneraveris“ pro „parce onerare“, quod iam ipsum poeticum dicendi genus est, non licet dicere. Itaque si nihilominus ut simplicissimam ita veram esse Ieepii conjecturam contendimus, aliam verbi „parce“ explicationem circumspiciamus, quae nisi ex ipso sententiarum nexu non eruenda est. Dixerat paulo antea Hermolaus coram rege primum de praeteriti temporis usu, qui in praesentia etiam extaret: Liberi homines superbiam tuam ferre non possumus; deinde de futuro tempore: Quid speramus ex te, inquit, quibus aut insontibus moriendum est aut, quod tristius morte est, in servitute vivendum. Tum pergit ostendens, quantum rex ipsi debere videatur: primum enim edictum esse a se regem de tempore praeterito, quid homi-

nes ingenui aegre tulissent; deinde de futuro tempore, quid sibi faciendum esset, scilicet ne superbe ageret sed parceret. Quodsi recte exposui sententiarum nexum atque ordinem, apparet omnino superbiam regi esse abiciendam atque omnino esse parcendum. Cum igitur in iis, quae sequuntur, enuntiatis de duabus rebus agatur, male fecisse putandi sunt enarratores, qui illud „parce“ non ad utrosque, et senes et filios, pertinere putarent, sed ad solos senes. Sensus enim loci hic est: Futuro tempore parcas rex neu pro pristina superbia tua acerbissimum quodque ab hominibus poscas. Itaque senibus primum parcas, filios quidem iis adimas, sed cave eos, quos orbasti, ad supplicium etiam trahas; nobis autem filiis item parcas neve imperes, ut in servitute vivamus, quod tristius morte est, sed leviore poena capitis contentus ad supplicium nos duci iubeas et ex nostra morte libertatem, quam ex tua nece petieramus, consequi sinas. Quae cum ita sint, sic interpungendum censeo: De cetero parce: quorum orbas senectutem, suppliciis ne oneraveris; nos iube duci, ut, quod ex tua morte petieramus, consequamur ex nostra. — Sed ne quis haereat, qui responsum Alexandri, quod in sequente capite extat, comparaverit vel Fossium audiverit: sane rex haec Hermolai verba respiciens, „Mones me, inquit, ut vestris parentibus parcam“; clementiae in filios exercendae mentionem non facit. Sed cum omnino de solo parentum supplicio in responsione sua ageret, filiorum poenam autem non commemoraret, nimirum ne de clementia quidem, qua in puniendo uteretur, verba facere potuit. Praeterea monendum est, verbum „parcere“ absolute positum apud Caesarem quoque reperiri b. G. VII 71, 1.


VIII 8, 15: Obtulit nomen filii mihi: recipere ipsis rebus, quas agimus, haud alienum fuit.

Vitiosam verborum collocationem iam Modius animadvertis, qui „mihi filii nomen“ scripsit, quod quamvis repugnantibus melioribus libris Zumptius quoque, et ipse languidum verborum ordinem reprehendens, et Fossius ex auctoritate Florentinorum DFGI in textum receperunt. Contra A. Hugins (Mus. Rhen.

XX. 122) corruptelam in pronomine „mihi“ latere suspicatus est. Verum neque transponendo neque immutando opus est, modo sic interpunxeris: *Obtulit nomen filii: mihi recipere ipsis rebus, quas agimus, haud alienum fuit.* — Quo facto filius eodem modo patri opponitur, quo supra „in mea potestate“, non „in potestate mea“ a Curtio scriptum et deorum nomini oppositum est.

Quodsi merito codici Parisino 5716 principem inter Curtii libros manu scriptos locum vindicavimus, sequitur ut iis quoque locis, ubi inter duas lectiones utram eligas per se nihil refert, solum textus, quem vocant, constituendi fundamentum esse beat. Exempli gratia hos afferam locos: VIII 13, 10 verborum collocatio, ut est in P, a ceteris libris discrepat; atque hos quidem secuti sunt recentiores editores, qui „terribilior erat facies ripae“ scripserunt, sed lectio libri P „facies erat“ pro codicis auctoritate preeferenda est. Item IX 7, 24 „regis aures“ non „aures regis“ scribendum esse scriptura codicis P ostendit. — VIII 4, 27: Hoc erat apud Macedones sanctissimum coeuntium pignus. P habet „Macedonas“, et ita scribendum est, cf. eiusdem libri cap. 5, 6. 13. 7, 13. 8, 13. 16. 17 ubi omnes codices non interpolati eandem formam exhibent. Etenim cum in his rebus singuli codices varient, ut P quoque interdum formam „Macedones“ preebeat: nostris temporibus viri docti tantum abest ut ubique unam formulam rationemque scribendi a grammaticis institutam scriptoribus obtrudant, ut hic quoque optimum quemque codicem, quoad eius fieri potest, pro norma habendum putent. Itaque IX 4, 14 non „amni“, quam ablativi formam habent Bern. A Flor. A Leid. Voss. I, sed „amne“ secundum P scribendum est. Item VIII 5, 4 pro „laminas“ e P scribamus „lamnas“, quod III 11, 15 omnes meliores libri tueruntur. Nam IV 9, 3, ubi ut ceteri codices ita P formam „lamminis“ habet, iure haec lectio ab Hedickio recepta est.

Sed de codice P iam satis dictum.



# MISCELLANEA CRITICA.

---

## AD CICERONEM.

Cicero in Tusculanarum disputationum libro I. cap. 2, 4, postquam exposuit, a Graecis Romanos artifices eo superari, quod his praemia proposita non essent, pergit: „An censemus, si Fabio, nobilissimo homini, laudi datum esset, quod pingere, non multos etiam apud nos futuros Polyclitos et Parrhasios fuisse?“ Hic cum a pingendi arte exemplum sumpserit Cicero, rectissime Parrhasii mentionem fieri manifestum est; sed ineptissime ibidem legitur Polycliti nomen, qui, Ageladae discipulus, et sculptor et statuarius et architecta fuit, pictor non fuit atque adeo in eiusdem Ciceronis Bruto 18, 70 pictoribus opponitur. Legendum est sine dubio Polygnotos. Is enim inter antiquorum pictorum celeberrimos laudatur a Cicerone in Bruto l. l.

## AD CENSORINUM.

In pulchro Censorini libello de die natali cap. 4, 12 legimus, in Colchide vel Boeotia consitis anguis dentibus armatos esse exortos, qui spartoe appellabantur, „e quibus mutua caede inter se necatis pauci superasse traduntur.“ Apparet ex necatis neminem potuisse superare sive, ut alio modo exponam, ablativum „necatis“ non esse coniungendum cum praepositione „e“, a qua solum pendet pronomen „quibus“, sed esse illud „necatis“ absoluto ablativo positum. Sed requiritur aut substantivum aliudve vocabulum substantivi loco positum, aut adiectivum, quod ad participium „necatis“ tamquam ad suum substantivum referatur. Itaque ante „mutua“ similitudine primarum litterarum vocem „multis“ intercidisse suspicor, qua ut pars inserta aptissime sibi opponuntur „multi necati“ et „pauci

superantes i. e. superstites“. Exciderunt autem haud raro singula huius libelli vocabula, e. g. c. 6, 2 „ut“ post „disponat“ addidit Schanzius; 10, 7 „qui“ post „que“ inseruit Carrio; 14, 6 e vocabulo „duo“ Urlichsius elicuit „dumtaxat“; 21, 9 „numerant“ ante „nam ut“ Jahnius, 22, 16 „C.“ post „SC.“ Urlichsius, 24, 3 „orto“ post „sole“ Hultschius recte addiderunt. Noster igitur locus ita exhibendus est: e quibus multis mutua caede inter se necatis pauci superasse dicuntur. — Laetor Martinum Schanzium, eisdem fere quibus ego causis ductum, emendationem huius loci tentasse, quam pro sua erga me voluntate huic specimini decori esse libenter concessit; scripsit enim participio „necatis“ tamquam glossemate expuncto: e quibus mutua caede pauci supererant.

Cap. 17, 13 haec legimus: „Quod si quis credit ludis saecularibus saecula\*, sola nominis origine inductus, sciat saeculares dici potuisse, quod sqq.“ Post „saecula“ verbum excidisse dubitari nequit; nam quod Lachmannus „cludi“ ante „ludis“ inseruit, rationibus palaeographicis quas vocant plus tribuisse videtur quam sermonis usui. Itaque Carrio „discerni“ excidisse censuerat, locum qui proxime antecedit respiciens, ubi „his ludis saecula discerni“ dicuntur. At ob id ipsum mihi quidem verbum „discerni“ hoc loco displicet; nam solet variare in talibus Censorinus. Poterit sane aliquis ex eiusdem capitil § 9 verbum „terminari“ repetere; sed si reputaveris iisdem fere verbis singulas commentationis partes et incipere Censorinum et finire, concedes fortasse, hic quoque inseri verbum „distingui“, quod initio huius diatribes, ut ita dicam, legitur § 7: Romanorum autem saecula quidam ludis saecularibus putant distingui.

Tertium hunc tentavimus locum, qui est in cap. 18, 2: „Itaque annos civiles sic statuerunt, ut intercalando facerent altermos duodecim mensum, altermos tredecim, utrumque annum separatim vertentem, iunctos ambo annum magnum vocantes.“ Agitur de annis maioribus, qui ita statuti sunt, ut post certa quaedam intervalla annus minor i. e. annus civilis cum anno naturali, a quo plus minus discrepat, concilietur. Atque apud

veteres quidem Graecos biennii spatio maior annus continebatur. Biennum igitur sive iunctos ambo annos Graeci magnum annum vocabant, singulos autem annos sive utramque biennii partem separatim vertentem simpliciter appellabant annum. Quod si ita est, patet pro magna sermonis aequabilitate, quam ubique apud Censorinum deprehendas, una vocula transponenda locum refingendum esse: utrumque separatim vertentem annum, iunctos ambo annum magnum vocantes.

## AD FRAGMENTUM CENSORINI.

Caput 1 de naturali institutione inscriptnm ne Jahnii Halmii Urlichssii Hultschii quidem curis omnino perpurgatum est. Ac primum quidem in § 2 nonnullae insunt difficultates; locum autem ita exhibuit Hultschius: „Stoicorum opinio probanda, qui cum arte conpositum mundi opus considerarent, introduxerunt naturam providam ac sapientiam, quam ordo inpermutabilis ostenderet, et industria factum pronuntiaverunt.“ Coniunctio „et“ ante „industria“ in Coloniensi, qui admodum nuper fuit Darmstadiensis, deest<sup>1)</sup>), neque vero ea inserta non requires aut substantivum aut pronomen, quo illud „mundi opus“, de quo supra dictum est, repetatur. Quod iam dudum intellexit Schanzius et ostendit in optimo libello, qui inscribitur: Specimen criticum ad Platonem et Censorinum pertinens, p. 46; qui „industria factum“ ita vult transponere, ut scribatur „industria factum, arte conpositum“; sed ne sic quidem locus sanatur, primum enim non intelligo, quid novi redundet ad exponendam sententiam, si „industria factum“ adiungitur illi „arte conpositum“; deinde „sapientiam pronuntiaverunt“ ut recte se habere putem, non possum a me impetrare, nam et verbum „pronuntiare“ cum

<sup>1)</sup> Nam de Vaticano, qui hoc loco cum Coloniensi consentit, loqui nihil attinet. Illum enim codicem ex hoc descriptum esse, quamvis repugnante Luedekio (Gött. Gel. Anz. 1868 St. 13) certissime mihi probarunt Urlichssius et Schanzius.

sapientiae notione minus bene coniunctum videtur, et cum naturae et providentia et sapientia eodem modo attribuatur, iuxta „naturam providam“ non „ac sapientiam“ sed fortasse „ac sapientem“ exspectaveris. Quodsi vere disputavi, scribendum erit: (Stoici) cum arte conpositum mundi opus considerarent, introduxerunt naturam providam ac sapientiā, quam ordo inpermutabilis ostenderet, industrie factum pronuntiaverunt. Duplex quidem emendandi ratio ineunda erat, sed utraque faciliora; nam inter vocabula „providam“ et „quam“ ablativum „sapientiā“ in accusativum corruptum esse mirum non est; et „industria“ natum videtur ex falsa archetypi scriptura „industriae“, quae adverbiorum corruptela in Coloniensi saepius invenitur, quod exemplis congestis docuit Schanzius in libro laudato p. 4.

Sequitur hic locus § 3: „Sive perpetuus sive longaevus est mundus et in flamas abit et vicissim ex flammis renovatur ac restituitur, durantibus tamen principiis, nec reccidere ad nihilum videri potest, quod in se deficit et in se regignitur.“ In ultimo enuntiato, ut cohaereat sententia, aut „et“ ante „in se regignitur, aut post „quod“ coniunctio „enim“ inserta est: utrumque frustra, restat enim difficultas in coniunctione „nec“. Sensus totius loci hic est: Sive perpetuum appellamus mundum, sive longaevum et flamma denique delendum: diserimus in solo nomine positum videtur, re autem vera nihil inter utrumque interest; nam ii quoque, qui mundum igni deletum iri affirmant, concedant necesse est, certe initia rerum sive elementa remanere, unde profecto iterum idem mundus regignetur, quippe cum elementa ad nihilum redigi non possint atque eaedemque causae idem semper efficere debeant. Atque pro necessitate in omnibus rebus dominante novum, qui *ἐκπνωσει* gignetur, mundum eundem plane ac priorem fieri debere, Stoicos credidisse auctor est Nemesius *περὶ φύσεως ἀνθρώπου* c. XXXVIII. Nam sicut sua ipsius natura mundus incensus erat et in se defecerat, ita non aliis quibusdam auxiliis sed in se regignitur, itaque revera aeternus est et ne interdum quidem ad nihilum recidere videri

potest. Hunc igitur sensum efficies, si nulla littera neque immutata neque detracta neque addita transpositionem institueris hanc: Sive perpetuus, sive longaevis est mundus et in flamas abit et vicissim ex flammis renovatur ac restituitur: durantibus tamen principiis, quod in se deficit, in se regignitur nec reccidere ad nihilum videri potest.

Parvo post intervallo § 4 haec sunt: „Chrysippus aethera (scil. principalem putat), cuius motu perenni subiecta tenentur et administrantur, et ipse quidem aether nihil patitur.“ Oppositum vocis „nihil“ quisquis est scriptor huius fragmenti non omisisse videtur. Quamobrem post „subiecta“ vocabulum „cuncta“ inserendum censeo, quod per abbreviationem c̄cta scriptum post „subiecta“ facile excidit.

## AD VELLEIUM.

In Vellei Paterculi l. II. c. 1, 3 haec legimus: „Triste deinde et contumeliosum bellum in Hispania duce latronum Viriatho secutum est.“ In his verbis nescio an nemo iam haeserit; certe est, quod haereant lectores in illo „duce latronum Viriatho“. Quod quidem latinum esse per se ipsum patet et simili loco confirmatur, qui est in Aurelii Victoris epit. Caes. 28, 4, ubi imperator Philippus patre nobilissimo „latronum ductore“ ortus esse dicitur. Sed quid nostro loco sibi velit „latronum dux“, vix poterit explicari. Cum enim ex totius enuntiati structura appareat, „duce Viriatho“ ablativo absoluto esse positum, sequitur, ut „dux latronum“ non ita intelligatur, quasi Viriathus, latronum princeps, exercitui Lusitanorum praefectus sit, sed ut „duce“ referatur ad bellum et eos, qui bellum gerunt, itaque „dux latronum“ perinde sit ac si diceretur „dux Lusitanorum“. Cum vero apud alios scriptores, qui de hoc bello memoriae prodiderunt, Lusitani non pro latronibus praedonibusve habeantur: ad quem illud „latro“ referendum erit, nisi ad ipsum Viriathum? Ultro igitur se offert emendatio: „bellum in Hispania duce latrone Viriatho

secutum“ i. e. Viriatho duce electo, qui antea fuerat latro. Quae coniectura cum ei, qui accurate ipsa Vellei verba perpenderit, non possit non veri simillima videri, magis etiam confirmatur aliis scriptoribus comparatis, apud quos Viriathus latro appellari solet. Velut apud Ciceronem, quo cum saepius conspirare Velleium constat (cf. Cic. *Verr.* II 3, 184. 4, 22. *Vell.* II 8, 1), in II. l. de officiis c. 11, 40 Viriathus Lusitanus cum Barduli Illyrico latrone componitur. Eodem modo Livius de Viriatho tradiderat; nam et in libri LII epitoma haec sunt: „Viriathus in Hispania primum ex pastore venator, ex venatore latro, mox iusti quoque exercitus dux factus, totam Lusitaniam occupavit“; et a Floro I 33 (II 17) 15 Viriathus „ex venatore latro, ex latrone subito dux atque imperator“ factus esse narratur. Item apud Aurelium Victorem vir. ill. 71, 1 Viriathus inducitur „audacia latro, ad postremum dux“.

Item apud Velleium II 6, 2 „frumentum plebi dari insti-tuebat“ scribendum duco. Nam cum imperfecta „dabat, extendebat, dividebat, vetabat, constituebat, replebat, transferebat“ in eodem enuntiato praecedant, item imperfectum „relinquebat“ sequatur, quomodo plusquamperfectum „instituerat“ excusetur, prorsus non video.

## AD TACITUM.

*Hist.* I 11: Ita visum expedire, provinciam aditu difficilem, annonae fecundam, superstitione ac lascivia discordem et mobilem, insciam legum, ignaram magistratum, domi retinere.

Hanc codicis Medicei lectionem Ritterus recepit, Orellius et Halmius et Haasius et Heraeus Ricklefsium securi mutarunt in „domui“. Cui coniecturae quominus assentiar, duabus causis impedior: primum enim dubito de verbo „retinere“ cum dativo apud Tacitum iuncto; deinde ne illud quidem concedo, vocabulum „domus“ per se ipsum significare posse „domum Caesaris“, nihil enim obstat quominus *Hist.* I 15, quod exemplum Heraeus

attulit, explicemus: „Augustus in domo sua“, neque singulari explicatione egent cetera exempla a Boettichero in lexico Taciteo p. 162 sq. congesta. Quae cum ita sint, equidem malim „domitam retinere“ quod optime respondet discordiae illi et mobilitati, qua Aegyptum laborare paulo ante scriptor narravit.

Hist. I 30: Nihil adrogabo mihi nobilitatis aut modestiae; neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus est.

Verba „in comparatione Othonis“ cum nihil aliud significent, nisi ut dicant, cum Otho comparetur, relatu virtutum opus non esse: nonne mirum est, Othonem in sequentibus enuntiatis omnino non comparari cum Pisone, sed solius Othonis mores describi? Censebimus igitur Tacitum induxisse Pisonem dicentem: „non opus est relatu virtutem mearum, ut me cum Othone comparem, quia omnino talem comparationem cum homine vitiosissimo instituere nolo.“ Itaque unam lineolam in codice excidisse putabimus et „in comparationem Othonis“ legemus, quod loquendi genus Tacito usitatum item occurrit in Agr. 10: „non in comparationem curae ingeniive referam“, ubi Ernestius explicavit „non ea de causa referam, ut comparatio inde fiat mei ingenii et aliorum.“

## AD IUSTINUM.

E Instini qui hodie quoque sospitatorem suum exspectat, libro XII duos tantum locos tractabo, quorum alter c. 7. initio hic est: „Dein, quod primo ex Persico superbiae regiae more distulerat, ne omnia pariter invidiosiora essent, non salutari, sed adorari se iubet.“ Iam manifestum est, Alexandrum non Persico more distulisse, ut adoraretur; sed distulisse; ut Persico more adoraretur. Transponendo igitur vera lectio restituenda est ita: Dein ex Persico superbiae regiae more, quod primo distulerat, ne omnia pariter invidiosiora essent, non salutari, sed adorari se iubet.

Iam vero ad alterum locum accedamus: sub finem cap. 8 narrat scriptor, milites Alexandri, finem belli adesse laetantes, maximas molitiones fecisse, ut posteris admirationem sui relinquenter. „Itaque — sic pergit Iustinus — caesis hostibus cum gratulatione in eadem reverterunt.“ Consideranti mihi gratulationes non hostium caede, sed victimarum sacrificio agi solitas esse, procul dubio visum est, hoc loco nisi „caesis hostiis“ ferri non posse. Eodem pertinent, quae alii scriptores de hac re memoriae prodiderunt: velut Curtius IX 3, 19 de duodecim aris ab Alexandro erectis narrat, item Diodorus XVII 95 et Arrianus V 29, 1 sq. similia tradunt, qui quidem haec dicit: *ώς δὲ κατεσκενασμένοι αὐτῷ οἱ βωμοὶ ἤσαν, θύει δὴ ἐπ' αὐτῶν κτέ.*, atque adeo Plutarchus in vita Alexandri c. 62 conceptis verbis eloquitur, inde ab Alexandri aetate ad sua usque tempora sacrificia in illis aris offerri non desita esse.

## AD EUTROPIUM.

Eutropii novam editionem, emendatam illam quidem e veteribus libris manu scriptis, quo iure desideret Bernhardyus, nuper probe intelleximus omnes, cum Theodorus Mommsenius, qui unice inter nostrates de rerum Romanarum enarratione meritus est, ex optimo codice Gothano n. 101 s. IX primus verum libelli titulum publici iuris faceret, qui est „breuiarium ab urbe condita“; et equidem vidi, cum causa nescio qua commotus sextum septimumque breviarii librum obiter perlustrarem. Etenim Dietschius, qui multa nec sine laude edidit litterarum antiquarum monumenta, Eutropii editionem, omnium quas quidem noverim novissimam, haud dubium est quin festinantius peregerit. Qui quod de codicu[m] auctoritate et lectione fere nulla protulit, consulto fortasse fecit; neque quod vel corruptos locos ne attigit quidem moror: sed quae dudum erant emendata, ea debebat sane in suum usum convertere.

Velut VI 2 interpunxit Dietschius: „Ad Macedoniam missus est Appius Claudius. Post consulatum levia proelia habuit“ —

cum tamen Sylburgiana et Havercampiana, quas solas praeter Dietschianam inspicere mihi licuit, editiones rectam praeberent interpungendi rationem: „Missus est A. Cl. post consulatum. Levia proelia sqq.“ Quod statim compluribus confirmatur exemplis, quae partim in eodem partim in proxime sequentibus extant capitibus: „Missus . . . Curio post consulatum. Is Dardanos vicit. — Missus . . . P. Servilius ex consule, vir strenuus. Is Ciliciam subegit. — Missus est C. Cosconius pro consule. Multam partem Dalmatiae subegit.“ — Porro liceat ex nonnullis, quae legenti mihi ex re visae sunt, coniecturis modo tres hoc afferre.

Narrationis de M. et L. Lucullorum bellis contra Mithridaten et in Macedonia gestis VI 10 (8) hunc finem facit scriptor: „Ambo tum triumphaverunt, Lucullus, qui contra Mithridaten pugnaverat, maiori gloria.“ Constat Eutropium iisdem fere ubique verbis et structuris uti atque in singularum narrationum fine ad ea redire, a quibus exordium cepit. Quodsi comparaveris cap. 8 (7) verba: „Haec duo Luculli agebant“ — assensurum te spero scribenti mihi ne apice quidem mutato, sed litteris tantum aptius disiunctis: „Ambo tum triumphaverunt Luculli; is qui sqq.“ Quae lectio quod Graeca Paeanii metaphrasi quippe lacuna hic laborante stabiliri nequit, dolendum est. Sed idem Paeanius, qui Eutropio fere aequalis fuisse fertur, auxilio nobis est in hisce duobus locis emendandis:

In lib. VI cap. 16 (13) leguntur haec: „Metellus de Creta triumphavit, Pompeius de bello piratico et Mithridatico. Nulla unquam pompa triumphi similis fuit.“ Vel primum legenti apparebit, ante „triumphi“ desiderari pronomen demonstrativum. Conieci „huius triumphi“ simul versionem Graecam respiciens, ubi haec sunt: *ἔγενετο δὲ οὗτος ἐπιφανέστατος τῶν πάποτε θριάμβων.*

Tertius, qui lacer mihi videtur, locus inest in l. VII cap. 9: „Vicit autem proeliis Dacos.“ Conferas similes Eutropii locos VI 6 (5) multis proeliis vicit, VI 10 (8) ingenti proelio supera-

vit, VI 11 (9) ingentibus proeliis provinciam cepit, VI 18 (15) crebris proeliis vinceret: porro concedes, ante „proeliis“ adiectivum excidisse. Cum autem hoc nostro loco inter proxima verba legas „ingentes copias“, „multis proeliis“ scribendum videatur. Adstipulantur et Suetonius, auctor Eutropii in vita Augusti, qui complures incursiones Dacorum commemorat, et Paeanius, qui Graece Eutropium refingens de πολλαῖς μάχαις narravit.

Huc I. libri quoque unum locum liceat afferre cap. 12 (11): „Dictator autem Romae primus fuit Larcius, magister equitum primus Sp. Cassius.“ Comparanti mihi et universum Eutropiani sermonis usum in nominibus propriis proferendis et praenomen Sp. nomini gentili Cassio additum veri simillimum visum est, ultima verbi „fuit“ littera repetenda scribendum esse „T. Larcius“, idque eo magis quod hic T. Larcius, quem bis consulem a. 253 et 259 u. c (499 et 493 a. Chr. n.) fuisse eundemque primum dictatorem Livius II 18 et 21 refert, non confundendus est cum aequali suo genere factisque claro, Spurio Larcio, qui cum Horatio Coclite aliquantum temporis in statione pontis a Porsenna defendendi mansisse traditus est ab eodem Livio II 10.

## AD FLORUM.

Iulii Flori verba II 13 (IV 2) 81 ipsa recentissima Halmii editio ita exhibet: „novissime inusitatum Caesaris oculis nefas“. In quibus si quis substantivum „oculis“ respexerit, assentietur fortasse „inusitatum“ una litterula addita in „invisitatum“ mutandum esse. Sunt enim vocabula quaedam, quae saepissime in codicibus manu scriptis corrupta atque inter se mutata occurunt, velut invictus et invitus, multus et inultus, similia, quae cum notissima sint, repetere nihil attinet. Cf. Drakenborchius ad Liv. V 34. „Invisitatns“ quoque in tralaticia scriptura crebro in „inusitatus“ corruptum permultis locis a recensionibus editoribus restitutum est, in nonnullis perperam adhuc remansit.

## AD AMMIANUM.

Eodem modo, quo Flori locus modo tractatus, duo quoque apud Ammianum corrigendi videntur. Atque alterius quidem emendationem XXXI 3, 8 iam Ernestius proposuit; alterum legimus XXVIII 4, 13: „Poscuntur etiam in conviviis aliquoties trutinae, ut adpositi pisces et volucres ponderentur et glires: quorum magnitudo saepius replicata non sine taedio praesentium, ut antehac inusitata, laudatur assidue.“ Sed quid sibi vult illud „antehac“, an eadem magnitudo nunc fortasse usitata videtur? Videlicet sensu caret haec oppositio; at „antehac invisitata“ erat piscium magnitudo, quo factum est, ut cum tunc eam viderent, omnes laudarent assidue.

## AD EXSUPERANTIUM.

Iulii Exsuperantii libellus de bellis civilibus Marii Lepidi Sertorii a Gerlachio solita negligentia editus nonnullis adhuc maculis scatens circumfertur. Exempli gratia tres dico locos a Sylburgio dudum sanatos, qui apud Gerlachium veterem labem prae se ferunt: cap. 3 fin. ubi „totiens victor“ e Pithoeani codicis „quotiens“ eliciendum est; cap. 4 fin. ubi nomen Cinnae inseri oportet, ut ita locus exhibeat: „(Marius) Carbonem sibi in Cinnae locum in septimo consulatu collegam subrogavit“ — nisi forte ipsa verba „in locum“ desunt in Pithoeano, quae apud Cortium leguntur, non commemorantur a Gerlachio. Cap. 8 quod praebet codex „commissis atque deletis partibus“ recte a Sylburgio in „contusis atque deletis“ mutatum esse, evincitur comparato cap. 3, ubi „contusis Gallis“ legitur, et simili loco Sallustii, quem scriptorem imitatur Exsuperantius, Iug. c. 43, 5: opes contusae.

His igitur egregiis Sylburgii emendationibus tres meas qualescumque coniecturas addam: cap. 4 „(Octavius consul), ut seditionibus privaretur, collegam suum Cinnam in exilium misit.“ Quomodo ipsum consulem seditionibus privari cogitemus, equi-

dem nescio. Desideratur profecto aliud subiectum verbi „privaretur“, nimirum „res publica“, quae vox siglis scripta „r. p.“ ante „pr“ litteras facile excidit.

C. 7: „Promittentes esse facturos“; ante „esse“ pronomen „se“ inserendum est ex usu scriptoris cf. c. 6 pollicendo se restituturum; 5 fin. se fore promiserat.

C. 8: „Cui nisi obviam iretur, actum iam ac debellatum fore“. Ita legendum censeo, nam „foret“ ne nostro quidem dignum videtur.

## AD AMPELIUM.

In Ampelii libro memoriali emendando post Woelflinum editorem duo in primis viri operam posuerunt: Urlichsius, quem summopere magistrum colo, splendide et luculenter haud paucos locos restituit in commentatione egregia Museo Rhenano (XVII 632 sqq.) inserta; alter Zinkius, quem inter carissimos habeo amicos, magna sane sagacitate lucem attulisse putandus est nonnullis locis, quos in Urlichsii ephemeridibus, quae Eos inscribuntur, vol. II. p. 317 sqq. tractavit. Atque horum iudicio haec mea inventa, quorum pauca iam in Philologi vol. XXV et XXVI prolata hic novis ex parte argumentis stabilita repeatam, commendare conabor. Etenim ei, qui in Ampelii libello artem criticam factitat, re vera venia opus est, ne forte audacior litteratis hominibus esse videatur. Corruptissimum enim et lacunis cum maxime foedatum libellum esse inter rei peritos convenit: sed in tali scriptore sane difficilius puto dijudicare, quid emendandum sit, quam quomodo. Cum enim multa habeat, quae merito legentes offendant, profecto ubique haesitas, quid tandem ipsi scriptori haud dubie inepto, quid oscillanti librario tribuendum censeas. Ac tamen non omnia singulari perversitate dicta sunt, quae vel a doctissimis hominibus tamquam res prodigialiter una notantur. Velut Bernhardyus mirum esse putavit, quod principatum Ampelius appellaverit perpetuam Caesarum dictaturam: immerito, nam simili modo apud

Eutropium quoque principatum quasi novam dictaturam fuisse legimus I 12 (11).

In Woelflinianae igitur editionis p. 3 v. 8 sqq. legimus in capite 2, 7, quo agitur de duodecim signis: „Libra, quam Graeci ζυγόν appellant, virile nomen est † adeptus: qui insigni clementia et iustitia (ex Halmii coniectura; cod.: omni clementiae iustitia) † Mochos dictus. Priorem crucem Urlichsius l. l. p. 632 sustulit, felicissime ita locum. restituens: „... nomen est. Adeptusque homo clementia et iustitia † Mochos dictus.“ Alteram quam reliquit Urlichsius crucem ita tollere mihi videor, ut σταθμοῦχος scribam, cuius prima syllaba post syllabas „stitia“ facile excidit. Confirmatur autem haec coniectura glossario Arcadii p. 90, 15, ubi explicatur: Σταθμοῦχος libripens.

P. 5, 10 (cap. 6, 2): Europa, quae est inter fretum et Tanain“. Post „fretum“ excidisse „Oceani“ contendo, cf. in ipso hoc capitulo v. 27 „Calpe in freto Oceani“ et Liv. XXIII 5.

P. 6, 12 (cap. 6, 13): „Cyclades duodecim“ esse praedicat scriptor, sed undecim tantum sequuntur nomina. Quare ante „Cythnos“, nomen „Ceos“ inserendum puto; nam facile a priore littera C ad posteriorem aberrare potuit librarius; et ipsum nomen „Tenedos“ e „Tenos“ corruptum indicare videtur, aliquid intercidisse.

P. 7, 22 (cap. 8, 3) Woelflinus apographum Monacense secutus haec edidit: „Ibi picta sunt gubernacula Argonautarum † quae coepta navis“. Urlichsius l. l. „quae“ mutavit in „atque“ idemque suspicatur extitisse alteram de nave ab Argonautis aedificata fabulam nobis ignotam. At merito et Halmius et Zinkius vocabulum „coepta“ corruptum habebant, quorum ille „fixa“ hic „facta“ scribere voluit. Evidem puto, pictis Argonautarum gubernaculis coelatam navem respondere. Ceterum pro „quae“ non scripserim cum Urlichio „atque“ sed „itemque“, quod magis ex usu Ampelii est quodque in eiusdem cap. v. 33 ab ipso Urlichio iure receptum est.

P. 8, 26 (cap. 8, 13): „Samo in templo Iunonis est scyphus factus ex hedera, cuius capita foras quattuor arietina magna

cornibus mirae magnitudinis contortis.“ Hunc locum, quem ne obelo quidem notavit Woelflinus, Zinkius l. l. p. 320 solito ingenii acumine ita emendare conatus est: „cuius \*\* capit amforas quattuor; arietina magna sqq.“ Quod sagaciter excogitatum cum primo quidem obtutu non possit non arridere, tamen est, quod tollere velis. Nam ut taceam, ne sic quidem locum planum factum esse, nullum extat exemplum, quo vox „arietina“ absolute posita comprobetur. Sane fangi quidem posset ellipsis, ut „arietina“ idem esset atque cornua arietina; sed ne haec quidem ellipsis quadrat, nam non de cornibus sed de capitibus arietinis cogitandum est. Quae cum ita sint, pro „foras“ scribendum et transponendum esse censeo „in ora“, quod quidem si exciderat vocula „in“ litterarum f et f similitudine corruptum est. Mea igitur sententia ita locus exhibendus est: „... scyphus factus ex hedera, cuius in ora capita quattuor arietina.“ Simili modo Lucretius quoque scyphi marginem oram appellat I 937 sq.: prius oras, pocula circum, contingunt cf. IV 12.

P. 9, 10 (cap. 8, 21): Domus illic (sc. Cypro) Cyri regis aedificata lapidibus candidis et nigellis auro iunctis, ubi sunt columnae diversis coloribus et innumerabiles lamnae ferreae, fenestrae ex argento et tegulae ex lapide prasino. Murus intus medio Babyloniae, quem Memnon aedificavit lapide cocto et sulfure, ferro intermixtus, ubi sunt iuncturae.“ Illud „illic“, quod ad Cyprum referri nequit, „Ecbatanis“ excidisse significat, quod iam Woelflinus indicavit et post eum Zinkius. Cui audacter sed egregie totum hunc locum tractanti omnino assentior, nisi quod verba „intus medio“, quae sensu plane carent, non ad interiora domus regiae referto, sed paululum mutata ante „domus illic“ transpono. Zinkii igitur emendatio ita perficienda videtur: „Ecbatanis in Media: domus illic ... prasino, quam Memnon aedificavit. Murus Babyloniae ... Hunc coepit Semiramis.“ Cf. exempla, quae idem capitulum praebet: Argis in Epiro; ibi ... Ambraciae in Epiro. Sicyone in Achaia. Argis in Achaia.

P. 9, 30 (cap. 9, 1): „Ioves fuere tres. Primus in Arcadia, Aetheris filius, cui etiam Aetherius cognomen fuit: hic primum

Solem procreavit. Secundus † abide in Arcadia, qui Saturnius cognominatur, qui ex Proserpina Liberum patrem procreavit primum victoriam \*\*. Tertius Cretae, Saturni et Opis filius, optimus maximusque est appellatus.“ Duplicem huius loci corruptelam a Woelfflino iam indicatam sic tollere conatus sum: primum scripserim: „Secundus ab Saturno item in Arcadia“; deinde de altera macula haec proxime a vero abesse visa sunt: tres sunt Ioves, quorum unus hoc loco Aetherius nominatur, alias Diespiter, Fulminator, Tonitralis, Pluvius, Luceius, Serenator. Tertius optimus maximusque est appellatus, quem patrem hominumque deumque celebrarunt poetae. Sequitur ut secundus is sit, quem Imperatorem, Opitulatorem, Feretrium, Statorem, Victorem dictum esse constat. Itaque pro corruptis vocabulis „primum victoriam“ conieci: „per illum victoria est.“

P. 12, 2 (cap. 13, 2): „Cambyses filius † equae Cyri.“ E vocula „equae“, quae sensu plane caret, frustra Zinkius (cf. Eos vol. II p. 324) sanum aliquid elicere sibi videbatur, verba „atque successor“ hic latere ratus, quod vix cuiquam probaverit. Poterit aliquis, qui Cyrum „fortissimum“ ab Ampelio nostro appellari meminerit, conicere, „filius nequum Cyri“ scriptum fuisse, quod eodem modo corruptum est in Curtii codicibus BFLV X, 1 26 ibique emendatum ab Hedickio. Sed si quis Valerium Maximum VII 3, 10 ext. 2 et Iustinum I 10, 7 cum nostro comparaverit, veri haud dissimile ei videbitur, perperam illud „equae“ huc irrepsisse ex inferiore eiusdem capituli loco, ubi fortasse post vocabula „hinnitu equi“ exciderunt „equae admissi“.

P. 15 v. 2 (cap. 16, 2): „(Alexander) tribus proeliis trecenta peditum, † legionum equitum, duo milia falcatorum curruum vicit.“ Scribendum censeo: „quinquaginta equitum“ scilicet milia; nam tralaticium illud „legionum“ ex numero L male interpretato et perperam suppleto natum est.

P. 15 v. 16 (cap. 16, 4): „Perses Philippi filius cum maximis copiis Macedoniis \*\* et cum in Graeciam impetum fecisset sqq.“

Erravi quod in Philol. vol. XXVI. p. 43 verbis „et cum“ in „item cum“ mutandis locum sanatum iri arbitratus sum. Nam cum illud „Macedoniis“ oppositum desideret, intercidisse aliquid Woelfflino concedemus, praesertim cum Florus I 28 (II 12) 3 et Eutropius IV 6 idem suadere videantur. Fuerat fortasse — nam in tali re nihil pro certo affirmare licet —: „cum maximis copiis Macedoniis et auxiliis Thracum sqq.“

P. 21 v. 31 (cap. 27, 3): „Spurius cum agrariis legibus factionem et dominationem pararet \*\*“. Lacunam, quam indicavit Woelflinus, similes Ampelii locos 18, 1 et 3 respiciens e Floro I 17, 26 ita expleverim: „a patre suo imperfectus est“.

P. 23 v. 11 (cap. 30, 1) de Cambyses Persarum rege haec narrantur: „ipse deinde revertens ab Aethiopia rebus + perfractis cum in Aegyptum *Memphin* venisset sqq.“ Corruptum illud „perfractis“ in „infectis“ mutavit Dukerus, cruce signavit Woelflinus, in „male peractis“ mutavit Zinkius l. l. 325. Accuratus traditae scripturae vestigia premens conieci: „rebus (sive de felici Woelflini conjectura mavis: viribus) per famem fractis cf. cap. 13, 2: „(Cambyses) Aethiopiam profectus magna parte militum per famem amissa inritus rediit.“

P. 27 v. 30 (cap. 41): „Civile (bellum), quo inter se certant cives, nt Marius et Sulla, Caesar et Pompeius, Augustus et Antonius.“ Ut ante „Caesar“ nomina „Lepidus et Catullus“ inserenda putem, commoveor collato cap. 40, ubi haec narrantur: „Civilia bella quattuor ... primum Sulpicius tribunus excitavit, quod susceptam provinciam Mithridaticam Sulla in Marium transferri noluisset. Secundum bellum Lepidus contra Catulum ... Tertium bellum Caesar et Pompeius ... Quartum bellum Caesar Augustus sqq.“

P. 28 v. 34 (cap. 44): „Falso nomen regum Macedonum Pseudophilippus invasit.“ Certa — ni fallor — emendatione corrigendum est: „falso nomine regnum ... invasit.“ Cf. Flor. I 30 (II 14) 3: regnum ... Andriscus (i. e. Pseudophilippus) invaserat. Eadem loquendi forma Ampelio usitata est; legitur enim cap. 15, 7 tyrannidem invasit; cap. 18, 16 invasit imperium.

P. 7 v. 6 sq. (cap. 7, 5): „Aegyptium quod ab Aegypto, Libyceum quod a Libya cognominatur; Syrticum quod a duabus Syrtibus reciprocis aestibus retorquetur“ scribendum esse et ipsius enuntiati structura et constans scriptoris usus docet cf. Halmii et Woelflini emendationes capp. 15, 19 et 20, 11. —

## A D D E N D A.

P. 9. VIII 1, 4: P praebere videtur: et erant forte campo.

„31. Hist. I 11: „Domi“ ex M receperunt Orellius Haasius Ritterus; „domui“ Rickleßium secutus Halminus, qui codicis lectionem iure repudiavit.

WIRCEBURGI, TYPIS F. E. THEIN.



